

VERBUM «ACCEDERE» IN CANONIBUS 604 ET 731 CODICIS. QUAESITA ET INTERPRETATIO

SUMMARIUM: Diversa invenitur in auctoribus versio verbi «accedere» in canonibus 604 et 731 Codicis. Ratio diversitatis in diversis interpretationibus auctorum nititur, quorum argumenta considerantur. Mens investigatur ipsius legislatoris in canonibus redigendis ut clarior fiat sensus illius verbi et magis adaequata eius versio.

INTRODUCTIO

Verbum «accedere» pluries in Codice adhibetur¹, cuius usus non semper sensum iuridicum clarum et univocum habet, v.g. in canone 620 ubi dicitur quod ad munus Superiorum *accedunt* Abbas primas et Superior Congregationis monasticae qui Superiores maiores non sunt sed aliqua gaudent auctoritate generaliori². Verbum «accedere» ergo exprimere vi-

¹ Cfr. X. OCHOA, vox «accedo» in *Index Verborum ac locationum Codicis Iuris Canonici*, Roma 1983, 3.

² Cfr. J. BEYER, *Quaesita et dubia de Societatibus vitae apostolicae solvenda*, in *Periodica* 76 (1987) 449. «Vox «accedunt» etiam in Concilio adhibita est pluries et non clare, uti v.g. quando dicuntur ad clericos accedere a Deo electi laici, qui, ut plene se dedant apostolicis operibus, ab Episcopo vocantur et in agro Domini cum multo fructu laborant (LG 41d). Qui laici plerumque mulieres sunt. Quo sensu videntur et laici diaconis assimilari, vel melius similes esse in quantum opera exercent apostolica in dioecesi et, uti tales, ab Episcopo sunt recepti». *Ibidem*.

detur in casu aliquam similitudinem cuius ambitus tamen non clare evadit.

Obiectum nostrae investigationis est sensum verbi «accedere» intelligere in canonibus 604 et 731, quorum primus de ordine virginum, alter de Societatibus vitae apostolicae loquitur. Huius verbi diversa invenitur versio apud auctores, quae diversitas saepe aliquam discrepationem in canonum interpretatione inducit.

Quaestio ergo ponitur utrum verbum eundem sensum in duobus canonibus habeat an non et in quo fundamento diversitas nitatur.

Antequam de unoquoque canone loquamur, quaedam praemittenda sunt: duo canones diversam habent in Codice collocationem, canon 604 scilicet invenitur in sectione prima partis 3ae Libri Ili, id est sub titulo «De Institutis vitae consecratae», canon 731 in sectione altera eiusdem partis sub titulo «De Societatibus vitae apostolicae».

Titulus illius sectionis primae tantum de Institutis mentionem facit (sicut § 2a canonis 573 qui de canonicis condicionibus loquitur ut illa Instituta ab Ecclesia agnoscantur), licet Codex inter «Instituta» et «formas» vitae consecratae distinctionem ponat. Nam uti in canonibus 603, 604 et 605 patet, aliae formae ab Ecclesia agnoscuntur vel agnosci possunt quae non sunt Instituta. De improprietate tituli illius sectionis primae auctores iam fusius locuti sunt, pro nostra investigatione hoc tantum breviter ad mentem recolendum erat.

VERBUM «ACCEDERE» IN CANONE 604

1. Canon 604 invenitur sub normis communibus Institutorum vitae consecratae ubi, uti diximus, etiam

loquitur de formis vitae consecratae quae non sunt Instituta, sicut facit canon 603: «Praeter vitae consecratae Instituta, Ecclesia agnoscit vitam eremiticam...».

Dicit ipse canon 604: «Hisce vitae consecratae formis, *accedit* ordo virginum ...». Ordo virginum accedit ergo aliis formis vitae consecratae. Ex illo verbo quaestiones oriuntur. Cur dicit legislator «accedit»? An accedit significare intendat virgines veram formam vitae consecratae non esse, sed tantum illis propinquam? Auctores sunt qui ita putant quorum argumenta nunc videbimus³.

2. Quidam auctores censere videntur quod virgines, contra eremitas, non fiunt membra status consecratorum sed illi statui tantum sunt proximae⁴, id est virgines aliis formis (quae sunt Instituta religiosa, Instituta Saecularia et vita eremitica) tantum assimilantur⁵. Virgines, iuxta illos auctores, non sunt in statu consecratorum quia vincula sacra non sumunt

³ Uti diximus variae dantur versiones verbi «accedere» canonis 604. Nonnulla exempla tantum praebemus. Codex lingua gallica vertit: «A ces formes de vie consacrée s'ajoute l'ordre des vierges»; lingua anglica: «The order of virgins is also *to be added* to these forms of consecrated life»; lingua americana: «*Similar to these forms* of consecrated life the order of virgins...»; lingua neerlandica: «*Bij deze vormen van gewijd leven komt de orde der maagden*»; lingua italica: «A queste diverse forme di vita consacrata è *assimilato* l'ordine delle vergini»; lingua ispanica: «A estas formas de vida consagrada *se asemejan* el ordine de las virgines»; lingua germanica: «Ausser diesen Formen des geweihten Lebens gibt es den Stand der Jungfrauen».

⁴ Cfr. V. DAMMERZ, *Gli Istituti di vita consacrata nel nuovo Codice di diritto canonico* in *Vita Consacrata* 19 (1983) 115.

⁵ Cfr. J.F. CASTAÑO, *Il contesto ecclesiale della vita consacrata*, in AA.VV., *Il nuovo diritto dei religiosi*, Roma 1984, 49 nota 11.

neque tria consilia paupertatis, castitatis et oboedientiae profitentur, quae professio sola in statu consecratorum ponit⁶. Qua re, concludunt illi auctores, recte dicit legislator virgines tantum «accedere» aliis formis vitae consecratae: virgines unicum consilium castitatis formaliter sumunt et «propositum» emittunt Christum pressius sequendi, quod propositum non reputatur vinculum sacrum esse. Sine tribus consiliis maioribus igitur, cum sacris vinculis sumptis, de vita consecrata loqui non possumus⁷, sed tantum de similitudine cum vita illa.

An sint argumenta haec accipienda?

3. Momentum habet processum compositionis canonis 604 investigare, qui canon novitatem in legislatione Ecclesiae tantum formalem praebet; in vita Ecclesiae enim virgines antiquissimam formam vitae consecratae inter christifideles constituerunt. Hoc sub respectu Codex maiorem claritatem quam Concilium adducit. Nam Patres conciliares recusaverunt v.g. in Decreto *Perfectae Caritatis*, vitam eremiticam sensu stricto, id est non coniunctam cum aliquo Instituto perfectionis includere⁸. Propter eandem rationem locutum non est de virginibus consecratis⁹. Decretum enim illam tantum praxim consiliorum considerabat in aliqua societate ab Ecclesia recognita, quae societates erant tres: Religiones, Societates vitae communis et Instituta saecularia. Tamen, affirmatur, ianua aperta manebat aliis novis formis¹⁰.

⁶ Cfr. A. GUTIERREZ, *I vincoli sacri negli Istituti di vita consecrata*, in *CpR* 67 (1986) 326.

⁷ Cfr. E. GAMBARI, *Vita religiosa oggi*, Roma 1983, 652.

⁸ Cfr. *Acta Synodalia*, III (VII) 112. Tamen postremo de vita solitaria fit mentio in Proemio Decreti.

⁹ Cfr. *Acta Synodalia*, IV (III) 556 n. 147.

¹⁰ Cfr. *Acta Synodalia*, III (VII) 110.

De ordine virginum amplius disceptavit Coetus studiorum pro recognitione Codicis qui dubia circa identitatem virginum propriam non abscondidit. Quidam Consultor in sinu Coetus proposuerat locutionem «ordo virginum» loco «status virginum» quia virgines — dicebat — quamvis consecratae, statum non constituunt. Sed huic propositioni oppositum est quod verbum «status» aliud sensum non habebat quam «stabilis vivendi forma» quae etiam virginibus applicanda erat. In sinu consultoribus Coetus recognitionis huius partis Codicis est etiam qui de statu publico virginum in Ecclesia dubitat, qua re proponit ut canon de virginibus ad alium locum Codicis (v.g. inter fidelium consociationes) transiret. Ratio dubitationis nitebatur in eo quod virgines tantum consilium castitatis videbantur assumere¹¹. Ipse Relator Coetus notavit quod haec traditionalis et antiquissima forma hodie novum cognoscit incrementum sed lineamenta adhuc non sunt definita; melius ergo, ait, non multa dicere in canone, propter prudentiam, expectanda evolutione futura¹². Pro Relatore Coetus tamen, clare evadebat quod virgines publicum vinculum sumunt in caerimonia publica, iuxta ritum ab Ecclesia statutum, unde virgines in publico statu Ecclesiae collocantur. Qui status est status consecratus; hic status *singillatim* est intelligendus. Cum enim virgines inter se consociantur, illae consociationes non fiunt Instituta vitae consecratae, sed simplices christifidelium consociationes, nisi in eorum statutis expresse praevideatur professio trium consiliorum ab Ecclesia agnita¹³. Ut

¹¹ Cfr. *Communicationes* 11 (1979) 332.

¹² Cfr. *ibidem*, 333.

¹³ Cfr. *ibidem*, 334.

realitas consecrationis virginum melius exprimatur, proponitur Consultoribus ut aliqua locutio in canone iam redacto inseratur, scilicet: «Hisce vitae consecratae formis accedit ordo virginum *sanctum propositum Christum pressius sequendi* ...»: sic etiam paupertas et oboedientia in illa sequela Christi subintelligi possunt, una cum castitate. Nam sequela Christi est realitas totalis in caritate. Locutio ab omnibus consultoribus probata, ad definitivam redactionem Codicis transivit¹⁴.

Ordo virginum, iuxta mentem consultorum Coetus, videtur vera forma vitae consecratae esse, licet sit forma individualis sicut vita eremitica: hanc ob rem propositum etiam fuit ut de illis duobus formis vitae consecratae in eodem canone mentio fieret¹⁵.

4. Nostro iudicio nullum dubium est quod virgines veram constituunt vitae consecratae formam, quae per sanctum propositum Christum pressius sequendi fit. Virgo consecrata ad significandum amorem nuptialem Christum inter et Ecclesiam vocata est. Ipsa virgo, Christo Dei Filio mystice desponsata, fit signum vivens illius amoris. In hac sequela consilia evangelica eorum sensum et valorem consecrativum accipiunt. In sequela Christi virgo certe plenam oblationem Deo intendit licet sit castitas consilium quod magis in ea refulgeat. Quae omnia pulcherrime in Rito consecrationis ostenduntur¹⁶, earum sanctum «propositum» est vinculum publicum et stabile. Cum Ecclesiae benedictione, quae publica et solemnis est, illud propositum fit sacrum quod simul consecratio-

¹⁴ Cfr. *ibidem*, 333.

¹⁵ Cfr. *ibidem*, 329.

¹⁶ Cfr. J. BEYER, *L'ordine delle vergini*, in *Vita Consacrata*, 22 (1986) 591-602.

nem Deo et servitium Ecclesiae secumfert. Propositum illud elevatur ad mysticas nuptias cum Christo significandas, quae nuptiae in caritate perfecta nituntur et consumantur¹⁷.

His omnibus consideratis clarior fit sensus verbi «accedere» in canone 604, quod verbum minime intendere potest virgines in vita consecrata non esse et huic vitae tantum assimilari vel proximae esse. Verbum «accedere» significat potius, uti nobis videtur, quod praeter formas praecedentes etiam ordo virginum ad vitam consecratam pertinet, licet earum situatio peculiaris evadat etsi pro eis condiciones formaliter differentes exigantur. Consecratio virginum sub luce consilii castitatis perfectae per sanctum propositum assumpti elucet. Si negatur quod virgines vere sunt in statu vitae consecratae, periculum s.d. «formalismi» iuridici insinuat in Codice quod non videtur adesse in mente legislatoris.

VERBUM «ACCEDERE» IN CANONE 731

Dicit canon 731 in pharagrapho prima: «Institutis vitae consecratae *accedunt* Societates vitae apostolicae quarum sodales...»; qui canon extra canones Institutorum vitae consecratae invenitur. Notus est processus qui ad hanc collocationem systematicam Codicis duxit. Verbum «accedunt» aliquam claritatem sub luce illius processus obtinet. Nobis sufficit paucis

¹⁷ Cfr. *ibidem*, 597 ss.; G. GHIRLANDA, *La tipologia degli Istituti di vita consacrata*, in *Vita Consacrata* 21 (1985) 220; D.J. ANDRES, *Il diritto dei Religiosi*, Roma 1984, 3; *Commento al Codice di Diritto Canonico* (Pontif. Univer. Urbaniana), Roma 1985, 362.

verbis tantum, hanc evolutionem in mentem recolere¹⁸.

Cum Coetus initialis «De Religiosis» fieret Coetus «De Institutis perfectionis» iam clara erat horum Institutorum triplex distinctio in Institutis Religiosis, Societatibus vitae communis sine votis et Institutis saecularibus. Membra in communi habebant oblationem vitae Deo per consilia evangelica assumenda iuxta proprium charisma ab Ecclesia recognitum; hoc independenter a forma (vota aut alia vincula) iuxta quam consilia assumebantur. Paulatim in sinu Coetus evolvitur notio doctrinalis «consecrationis» quae novam exegit terminologiam.

Schema anni 1977 illam triplicem distinctionem praebebat. Prima pars Schematis (cc. 1-88) etiam Societatibus applicabatur. In parte secunda quattuor canones proprii illis reservabantur (cc. 119-122). Schema multas suscitavit animadversiones apud Societates praesertim virorum quae minime collocationem inter Instituta vitae consecratae desiderabant. In sessione mensis maii anni 1980 explicite quaestio de collocatione Societatum posita est, quarum canones speciali Coetui concreduntur. Duo parantur Schemata: in primo collocatio Societatum inter Instituta vitae consecrata invenitur, in alio extra illa Instituta. Omnes conveniebant quod Societates simplices consociationes apostolico-pragmaticae considerandae non sunt, tamen in quibusdam tantum habetur explicita praxis consiliorum cum aliquo vinculo sumpta. Sequens evolutio, uti notum est, ad hodiernam solutionem duxit.

¹⁸ Quoad illam evolutionem cfr. G. GHIRLANDA, *La tipologia degli Istituti di vita consecrata*, cit., 210-227.

3. Inter Societates varia sunt genera, quaedam ex illis consiliorum assumptionem habent cum aliquo vinculo, uti in paragrapho secunda canonis 731 dicitur, aliae hanc explicitam assumptionem non habent sed omnes ad perfectionem caritatis tendunt per oboedientiam Constitutionibus et earum sodales de facto, tacite vel implicite, iuxta consilia evangelica vivunt. Membra Societatum clericalium, licet vincula non sumant, tamen vi ordinis sacri, aliquo modo consiliis evangelicis tenentur¹⁹; omnes Societates mulierum iuris pontificii explicitam habent praxim consiliorum.

Quoad originem historicam Societatum, notum est quod iuxta voluntatem Fundatorum multae ortae sunt uti forma consecrationis, quae tamen structuram proprie religiosam renuebat, quia haec structura illo tempore (praesertim in Institutis mulierum) exercitium activitatis apostolicae impediabat necnon clausuram imponebat quae magnum impedimentum videbatur illis activitatibus.

Societates ergo in Codice extra canones Institutum vitae consecratae inveniuntur. Eorum connexio cum illis Institutis a verbo «accedunt» exprimitur. Quod significat hoc verbum in casu?

4. Variae sunt apud auctores versiones verbi «accedunt» canonis 731. Quae varietas diversam secumfert interpretationem de identitate Societatum propria. Verbum «accedunt» ab auctoribus vertitur: «sunt similes», «sunt proximae», «assimilantur»²⁰, «appropinquantur» et ita porro.

¹⁹ Cfr. *Communicationes*, 13 (1981) 385-386.

²⁰ «Italice melius dicitur "assomigliano"; non recte videtur versio "sono assimilate" quia assimilatio non fit per Codicem sed vita», J. BEYER, *Quaesita et dubia*, cit., 449.

In interpretatione illius verbi duo sunt (ut simplicius problema reddatur) praecipuae visiones auctorum: prima, dissimilitudinem Societates inter et Instituta vitae consecratae amplificat; altera similitudinem profundam in luce ponit (usque ad aequalitatem affirmandam in quibusdam Societatibus). Quae interpretationes diversam positionem doctrinalem exprimunt.

Ex una parte igitur quidam auctores affirmant quod verbum «accedere» differentiam Instituta vitae consecratae inter et Societates indicat. Haec differentia, aiunt, respicit consecrationem quae in Societatibus abest²¹. Sodales Societatum ad caritatis perfectionem tendunt per operas apostolicas in communi ducendas non autem per professionem consiliorum evangelicorum²². Consecratio ergo ratio est profundae inaequalitatis Societates inter et Instituta vitae consecratae. Finis praecipuus Societatum est apostolicus, dum vita communis et tendentia ad caritatis perfectionem tantum uti media ad illum finem obtinendum considerandae sunt. Etiam in Societatibus, de quibus in paragrapho secunda canonis 731, ubi explicita praxis consiliorum praevидetur, haec praxis respicit rationem mediorum at numquam ad finem elevatur uti fit, e contra, in Institutis vitae consecratae²³. Si hoc negatur, pergunt illi auctores, periculum adest pro ipsa Societatum identitate quarum separatio ab Institutis vitae consecratae profunda

²¹ Cfr. J. ARRAGAIN, *Est — il canoniquement possible que des Sociétés de vie apostolique (SVA) soient des Instituts de vie consacrée (IVC)?*, in *CpR* 69 (1988) 46.

²² Cfr. *ibidem*, 38.

²³ Cfr. J. FERNANDEZ, *Sociedades de vida apostolica* in *Rivista española de derecho canonico* 39 (1983) 254-255.

est et radicalis, nullum conceptum substantiale in communi habentes. Praxis consiliorum apud Societates numquam fit professio; vincula si adsunt, privata sunt considerata: caret ergo in Societatibus fundamentum canonicum proprium status consecrati qui in publica professione consiliorum nititur²⁴. De ipsa sacralitate vinculorum insuper dubitant nonnulli auctores. Tendentia ad perfectionem membrorum Societatum propria, quamquam perficiatur per observantiam Constitutionum, oriri videtur ab exigentiis baptismatis ut pro omnibus christifidelibus, dummodo in membris Institutorum vitae consecratae est publicus finis, per vincula sacra consequendus²⁵. Instituta vitae consecratae, dicunt nonnulli auctores, exprimere viderentur in Ecclesia dimensionem «essendi», dum vita apostolica membrorum Societatum potius dimensionem «agendi»²⁶.

Hi auctores concedunt tamen quod verbum «ac-

²⁴ Cfr. v.g. *Commento al Codice di Diritto canonico* (Pont. Univ. Urbaniana), cit., 346.

Nonnulli auctores iudicant vincula Societatum, quamquam sacra, privata esse, cfr. T. RINCON, canon 731 in *Código de derecho canonico* (Universidad de Navarra), Pamplona 1983; J.L. ACEBAL, canon 731 in *Código de derecho canonico* (Universidad de Salamanca), Madrid 1982; G. MARCUZZI, *Il governo degli Istituti religiosi nel nuovo Codice di diritto canonico*, Milano 1984; G. LOBINA, *Le Società di vita apostolica*, in *Cons. Serv.*, 33 (1984) 45; J.F. CASTAÑO, *Il contesto ecclesiale*, cit., 58. De variis interpretationibus auctorum circa Societatum vincula cfr. S. RECCHI, *Consacrazione mediante i consigli evangelici. Dal Concilio al Codice*, Milano 1988, 202-203, nota 126.

²⁵ Cfr. J. SANCHEZ Y SANCHEZ, *Sobre las Sociedades de vida apostolica* in *Rev. Espanola de derecho canonico* 41 (1985) 425-427.

²⁶ Cfr. *Commento al Codice di diritto canonico* (Pont. Univ. Urbaniana), cit., 462.

cedere» aliquam similitudinem cum Institutis vitae consecratae indicat; qua de causa etiam remissio canonibus Institutorum vitae consecratae possibilis fit²⁷. Haec similitudo vero nulla elementa essentialia respicit et significare potest v.g. quod Societates uti Instituta perfectionis considerari possunt quia ad perfectionem tendunt²⁸. Iuxta nonnullos verbum «accedunt» in lucem ponit potius aliquam proximitatem Societatum Institutis proprie religiosis quoad vitam in communi ducendam et quoad nonnullos fines persequendos²⁹.

Versio verbi «accedere» ergo ab omnibus illis auctoribus qui distinctionem magnam Instituta vitae consecratae inter et Societates ponunt, modo «neutro» fit³⁰ ut identitas propria Societatum magis elucere possit.

5. Argumenta de quibus diximus, non semper sine difficultatibus sunt accipienda. Certe varium est genus Societatum neque in omnibus praxis consiliorum praevидetur; qua re necessaria est profunda

²⁷ Cfr. *Codice di Diritto Canonico* (sub directione p. Lombardia et J. I. Arrieta), Roma 1986, 527-528.

²⁸ Cfr. *Código de derecho Canonico* (de la Universidad de Salamanca), Madrid 1983, 384.

²⁹ Cfr. J. ARRAGAIN, *Est-il canoniquement possible*, cit., 46.

³⁰ «On observera avec intérêt les traductions françaises du verbe *accedunt*, qui peut être rendu soit par “se rapprochent de”, “sont assimilés à”, ou, plus simplement, “se juxtaposent à”. Ceux qui ne peuvent concevoir de vie évangélique instituée que “religieuse” ou “consacrée”, s’empresseront de traduire “sont assimilés à”. Les membres de ces sociétés préféreront certainement, puisqu’il faut bien traduire ce verbe dont on se serait aisément passé, la version “se juxtaposent à” ou un autre verbe le plus neutre possible». J. BONFILS, *Les Sociétés de vie apostolique in Vie Consacrée* 55 (1983) 213. Cfr. anche M. LEGRAIN, *Les Sociétés de vie apostolique*, *ibidem*, 61 (1969) 109.

cogitatio de identitate uniuscuiusque Societatis, quae identitas semper iuxta mentem et voluntatem Fundatorum interpretanda est. Tamen negari non potest quod etiam a sodalibus Societatum, ubi praxis consiliorum expresse non praevидetur, semper aliquo modo consilia evangelica implicite habentur. Hoc inevitabile fit quia sodales caelibatu tenentur (can. 753 § 2), peculiarem et divinam habent vocationem (can. 735 § 3) ad perfectionem caritatis per vitam communem et per finem apostolicum persequendam. In quibusdam Societatibus autem praxis consiliorum explicite praevидetur, uti dicit paragraphus secunda canonis 731, qui canon etiam de vinculis loquitur quibus consilia assumpta sunt. Impropria nobis videtur affirmatio iuxta quam illam praxim consiliorum pro sodalibus Societatum numquam ad finem elevatur, uti pro sodalibus Institutorum vitae consecratae, sed tantum uti medium consideratur³¹. Etiam apud Instituta vitae consecratae consiliorum professio numquam finem absolutum, id est seiunctum a propria

³¹ Quae visio modificationem provocavit in priore redactione canonis 731: «§ 1 Institutis vitae consecratae accedunt Instituta vitae apostolicae consociatae, in quibus sodales, vitam fraternam in communi ducentes, *per apostolatium* cui se devovent et per observantiam Constitutionum *ad caritatis perfectionem* contendunt», *Communicationes* 13 (1981) 380. Persecutio caritatis finis videbatur praecipuus, per apostolatium et oboedientiam Constitutionibus consequendum. Si priorem cum hodierna redactione canonis comparamus, videmus quod apostolatus nunc finis praecipuus fit. § 1 Institutis vitae consecratae accedunt societates vitae apostolicae, quarum sodales sine votis religiosiis, *finem apostolicum* societatis proprium prosequuntur et, vitam fraternam in communi ducentes, secundum propriam vitae rationem, per observantiam constitutionum *ad perfectionem caritatis* tendunt» (can. 731).

ratione sequelae et a charismatico proposito Fundatorum, considerata est; semper sunt consilia evangelica media quamvis essentialia.

Nihil dicit paragraphus secunda canonis 731 de vinculorum natura. Schema anni 1977 illa vincula clare definiebat sacra³². Cum Coetus studiorum paragraphum secundam canonis conscriberet, quidam consultor proposuit locutionem «aliquo *sacro* vinculo» loco «aliquo vinculo», sed additio non reputatur necessaria, dixit Relator, quia implicite subintelligebatur³³. Silentium legislatoris in hodierna pharagrapho canonis 731 circa vinculorum naturam Societatum ad aliquam prudentiamtribuendum est, quae prudentia post reactionem nonnullarum Societatum de qua diximus, inevitabilis fiebat. Tamen illud silentium, Societatum realitatem certe mutare non potest. Vinculum vel Deo factum, vel propter Deum sumptum, semper est responsio divinae vocationi et assensus divino amoris et hoc sub respectu semper aliquam secumfert sacralitatem. Aequivoca etiam est affirmatio circa vincula quae apud Societates, si adsunt, privata essent. Vincula in publica associatione Ecclesiae publica sunt considerata, etiamsi eorum effectus a Constitutionibus definiantur, vincula Societatum ab ipsa Ecclesia approbantur. Dicere etiam oportet quod professionis consiliorum significatio diversa apud varias formas vitae consecratae patet.

³² Cfr. Schema anni 1977, can. 119.

³³ «Si chiede ai Consultori se si debba:

...

b) aggiungere «aliquo *sacro* vinculo» (placet 4). Gli altri Consultori si astengono perché, come spiega Mons. Segretario, non è necessaria l'aggiunta: ciò va da sé», *Communicationes*, 13 (1981) 389.

Nam alia est apud Religiosos pro quibus verbum «professio» significationem publici et visibilis testimonii vitae sumit; alia est apud sodales Institutorum saecularium quorum testimonium vitae moderatum et saepe absconditum est (qua re praefertur in casu verbum consiliorum «assumptio» loco consiliorum «professio»); alia est consiliorum professio apud virgines quae per sanctum «propositum» consecrantur; alia apud eremitas et alia apud novas formas de quibus in canone 605, quae illam professionem iuxta proprium charisma et propriam missionem exprimunt.

Insuper quid dicendum de illis Societatibus quarum Constitutiones de consecratione sodalium loquuntur et ab Ecclesia ut Societates vitae consecratae iam ante novum Codicem approbatae sunt? Codex hodiernus naturam Institutorum vitae consecratae, quae ab Ecclesia uti talia approbata sunt, non modificat³⁴.

Instituta vitae consecratae, dicunt nonnulli auctores, in Ecclesia dimensionem «essendi» et Societates potius «agendi» exprimerent, sed distinctio impropria, immo periculosa videtur: impropria quia sunt multa Instituta vitae consecratae quae etiam activitatibus apostolicis dedicantur; periculosa quia in Ecclesia separatio inter «esse» et «agere» non datur, sed agere semper sequitur esse. Ne accipienda quidem est, nostro iudicio, differentia quam nonnulli auctores ponunt Institutorum sodales inter et Societatum soda-

³⁴ Cfr. D.-M. HUOT, *Les associations des fidèles et leur dépendance à l'égard de la Sacrée Congrégation pour les Religieux et les Instituts séculiers et du Conseil pontifical pour les laïcs* in *Informations* 10 (1984/1) 126-144 et 10 (1984/2) 97-117; cfr. praesertim p. 115.

les, iuxta quam primi Personae Christi consecrati essent, secundi eius missioni: recte animadvertitur quod difficiliter concipi potest missio Christi ab eius Persona seiuncta³⁵. Nemo ad operam apostolicam Christi adlaborare potest sine pressiori eius sequela et intimiori participatione eius mysteri³⁶. Immo ut missionem Christi foecunditer persequantur, ad eius Personam intimius adherendum est, quia Christus finis omnium apostolicarum operarum manet. Hoc sub respectu difficulter intelligi potest etiam distinctio Instituta vitae consecratae inter et Instituta perfectionis³⁷: ipsum Concilium cum de Institutis perfectionis loquatur, Instituta vitae consecratae intendit³⁸.

Auctores denique qui verbum «accedere» in canone 731 modo «neutro» vertere volunt ut identitas Societatum propria servetur vel similitudinem ab illo verbo expressam tantum uti proximitatem structurae propriae Institutorum religiosorum interpretant, nostro iudicio, momentum minuunt nexus ab ipso verbo «accedere» expressi. Ille nexus profundius intelligi

³⁵ «Unde raro datur Societas missioni Christi perficiendae apta et dedita, quin in ea tria habeantur consilia, pro modo suo servanda. Quae si tria haec consilia vocationi et missioni correspondent divinae, videntur et consilia effectus et media huius consecrationis vitae», J. BEYER, *Quaesita et dubia*, cit., 112.

³⁶ Cfr. J. BONFILS, *Les Sociétés de vie apostoliques*, cit., 213.

³⁷ Uti notum est, terminologia «de Institutis perfectionis» adhibita a Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* et ab ipso Concilio recepta fundabatur in distinctione inter statum «perfectionis acquisitae» et statum «perfectionis acquirendae» quod ultimum religiosiis applicabatur. Haec distinctio tamen aequivoca videbatur quia perfectio non tantum religiosiis, sed omnibus christifidelibus persequenda est.

³⁸ Cfr. LG 45b.

potest, si recursus ad canones Institutorum vitae consecratae inspiciantur. Non tantum nonnullae normae generales illorum Institutorum Societatibus applicantur, sed etiam variae videntur exigentiae quae pro Institutis vitae consecratae et Societatibus eadem sunt. Exempla habentur in admissione et formatione sodalium (cfr. cc. 735, 736), in dimissione sodalium qui definitive incorporati sunt (cfr. can. 746), quoad Societatum regimen (cfr. c. 734), quoad obligationes sodalium, quoad eorum apostolatatum (cfr. can. 738 § 2), quoad administrationem bonorum (cfr. c. 741), necnon quoad transitum ad aliam Societatem vel ad Institutum vitae consecratae. Recursus ergo ad canones Institutorum vitae consecratae proprios sensum profundiorum habere videntur quam simplicem propinquitatem structurae Institutorum religiosorum. Structura et spiritus enim in Ecclesia (et praesertim in vita consecrata) semper aliquam habent charismaticam unitatem.

6. Ex alia parte, uti diximus, auctores sunt qui in interpretatione verbi «accedere» sensum peculiaris similitudinis Instituta vitae consecratae inter et Societates in lucem ponunt. Vita communis et tendentia ad perfectionem in illis Societatibus, dicunt, natura sua, semper aliquam effectivam secumfert praxim paupertatis, castitatis et oboedientiae. Societates insuper statum publicum in Ecclesia efformant et vincula de quibus in paragrapho secunda canonis 731, quamquam non sint religiosa, tamen privata definiri non possunt quia ab Ecclesia sunt approbata et in casu dispensanda, quae vincula sacralitate non carent, etiamsi loco «voti» vel «iuramenti» sumantur aliae formae sicut «promissio», «oblatio», «consecratio». Etiam promissio non Deo sed Instituto facta, quamvis actus religionis non sit, aliqua sacralitate non privatur

quia actus est non tantum humanus vel socialis, sed responsio amoris Deo vocanti³⁹. In ipsa incorporatione Societati implicita consecratio haberi potest, si haec in Constitutionibus subintelligatur vel reapse in sodalium vita habeatur. Ne obliviscendum quidem est quod professio diu in saeculis tacita per meram vitae communitatis admissionem fiebat. In Institutis deinde semper varii fuerunt profitendi modi, iuxta eorum naturam. Loquitur enim doctrina de professione «super altare» quae apud monachos ante offertorium peragitur; habetur professio «in manibus» quae in Capitulo peragitur; dein professio «super hostiam» iuxta ritum a Sancto Ignatio electum, professio «in corde» a Sancto Vincentio pro Filiabus Caritatis introducta et ita porro. Semper profitendi modus ad naturam et spiritum Institutorum aptatus est.

Iuxta auctores qui ita putant, verbum «accedere» reapse proximitatem Societates inter et Instituta vitae consecratae exprimere intendit⁴⁰. Quae proximitas gradus diversos cognoscit et ad plenam aequalitatem pervenire potest in sodalibus scilicet de quibus in § 2a canonis 731. Qua de causa clarum fit cur illae Societates hanc collocationem in Codice servant.

Visio istorum auctorum nobis videtur magis proxima identitati Societatum necnon legislatoris menti. Ipsum Concilium, in textu Constitutionis *Lumen Gentium* terminologiam mutavit ut Societates in capite VIo comprehenderentur, ubi de vita consecrata agitur: uti scimus enim, Constitutio non iam locuta est de votis sed de sacris vinculis quae etiam Societatibus tribuebantur.

³⁹ Cfr. J. BEYER, *Quaesita et dubia*, cit., 106-107.

⁴⁰ Cfr. E. GAMBARI, *Vita Religiosa*, cit., 634.

7. Uti diximus, violenta fuit reactio aliquarum Societatum cum in priori redactioni Codicis se collocatas inter Instituta vitae consecratae viderunt. Ut in sinu Coetus studiorum adaequata solutio illi reactioni inveniatur, variae sententiae examinantur, v.g. sententia ampliandi notionem consecrationis in canone 573 contentam eo modo quod definitio potius de statu perfectionis ageretur⁴¹. Hoc modo, dicitur, Societates non tantum «accedunt», sed «sunt» Instituta vitae consecratae vel Instituta perfectionis. Hoc tamen non accipitur quia verbum «accedunt», dicit Relator Coetus, non refertur primo canoni tantum, ubi definitio vitae consecratae datur, sed omnibus canonibus Institutorum vitae consecratae, qui etiam Societatibus applicantur. Cavendum est, praeterea, additur, ne conceptus et contentum essenziale vitae consecratae diluantur⁴². Proponitur etiam ut usus verbi «accedunt» cum alia locutione substituetur, uti v.g. «*Praeter* Instituta vitae consecratae sunt Societates», sed hoc modo, notat Coetus Secretarius, *similitudinis notio* Instituta vitae consecratae inter et Societates, quae essentialis videbatur et quam maior pars Consultorum statuerat, cadit⁴³. Illa similitudo contra, iuxta Coetum, nexum Instituta inter et Societates bene exprimit.

⁴¹ «Vita consecrata est stabilis vivendi forma, qua fideles ...» (§ 1).

«Hanc vivendi formam in Institutis, a competente auctoritate Ecclesiae canonice erectis, libere assumunt fideles per religiosa vota (castitatis, paupertatis et oboedientiae) aut per alia (sacra) ligamina, iuxta proprias Instituti leges, et per *Communicationes*, 13 (1981) 377.

⁴² Cfr. *Ibidem*, 383-384.

⁴³ Cfr. *Ibidem*, 387.

Uti ex disceptationibus Coetus studiorum patet, verbum «accedunt» in canone 731, ad similitudinem exprimendam Societatum cum Institutis vitae consecratae electum erat. Illius similitudinis affirmatio etiam ut alicuius compromissi exitus evadebat eo sensu quod optionem potius pragmaticam legislatoris exprimebat, coram incertitudine doctrinalem ipsarum Societatum. Redactores canonum enim expresse noluerunt dicere utrum Societates illae Instituta vitae consecratae sint an non, sed tantum pragmatice procedere voluerunt⁴⁴. Habent tamen Societates, iuxta mentem legislatoris, strictam similitudinem cum Institutis vitae consecratae.

8. Si nunc canonem 207 consideramus, ubi in paragrapho prima christifideles inter clericos et laicos distinguuntur et in paragrapho secunda, vi professionis consiliorum cum sacris vinculis ab Ecclesia receptis, inter consecratos et non consecratos distinguuntur, quaestio ponitur quinam status sodalibus Societatum applicandus sit. Nostro iudicio sodales, de quibus in paragrapho secunda canonis 731, uti consecrati considerandi sunt, quia nulla videtur differentia in elementis essentialibus adesse. Quaesitum manet pro membris qui in illa paragrapho non comprehenduntur. Hae non videntur tamen simplices christifidelium consociationes neque simplices clericorum consocia-

⁴⁴ «Mons. Segretario: il problema fondamentale appare quello della ubicazione nel CIC di questi istituti, se dovrà essere all'interno degli Istituti di vita consacrata, oppure non sia il caso di seguire lo stesso criterio del CIC 1917: metterli immediatamente dopo, con un canone a sé che faccia i rimandi necessari. In questo modo *non si dice se queste Società sono o meno Istituti di vita consacrata*, ma si procederà in forma pragmatica» (s.n.) *Communicationes*, 13 (1981) 377.

tiones constituere: statum publicum in Ecclesia formant, finem apostolicum persequuntur, ad caritatis perfectionem tendunt per vocationem divinam peculiarem et per charisma apostolicum ab Ecclesia publice agnitus. His in casibus realitas *saltem* theologalis consecrationis videtur adesse quin ab Ecclesia formaliter ad consecrationem institutionalem elevatur, quae consecratio in Societatibus aliam habet significationem et expressionem⁴⁵.

Secus, sine hac proximitate difficiliter intelligi potest cur post annum 1981 christifidelium consociationes ab sectione tertia, tertiae partis Libri secundi ad titulum quintum huius Libri transierunt dum Societates vitae apostolicae earum collocationem apud Instituta vitae consecratae servaverunt.

His omnibus attente perpensis concludere possumus sequentia:

- verbum «accedunt» in canone 731 similitudinem et proximitatem Instituta vitae consecratae inter et Societates exprimere videtur;
- similitudo haec non tantum aliquem tangit aspectum institutionalem Institutis proprie religiosi proximum; canon 731 enim dicit Societates ad Instituta vitae consecratae, non ad Instituta tantum religiosa accedere;
- quae similitudo est aspectus constitutivus Societatum sicut elementa constitutiva sunt finis apostolicus, vita fraterna in communi ducenda, prosecutio perfectionis caritatis iuxta proprium charisma et propriam vocationem;

⁴⁵ «Riguardo poi alla "consacrazione", essa (nelle SVA) significa donazione a Dio attraverso la vita e l'attività apostolica, ma questa "consacrazione" ha un valore differente dagli Istituti Religiosi», *Communicationes*, 13 (1981) 381-382.

- similitudo ergo in verbo «accedunt» expressa sensum habet canonicum, theologicum et spirituale; eius versio magis apta nobis videtur «sunt similes»;
- haec similitudo fit aequalitas cum Institutis vitae consecratae pro Societatibus de quibus in paragrapho secunda canonis 731⁴⁶.

QUID EST CONSECRATIO PER CONSILIA EVANGELICA?

Interpretatio verbi «accedere» in canonibus consideratis nos ad aliam quaestionem remittit, scilicet de ambitu theologico-canonico consecrationis per consilia evangelica.

Consecratio per consilia est in primis responsio vocationi Dei qui ad intimiorem sequelam Filii vocat. Est actus theologalis, totalis oblatio Dei iuxta vocationem propriam et charisma a Spiritu donatum ad Ecclesiae aedificationem. Quae consecratio in Filii consecratione nititur et duplicem habet dimensionem: totalis amor erga Deum et simul erga homines. Consecratio per consilia exprimitur in sequela Christi pauperis, indivisi cordis, liberi et oboedientis volunta-

⁴⁶ Quoad versiones verbi «accedunt» canonis 731, varia habemus exempla. Vertit Codex lingua gallica: «A' côté des Instituts de vie consacrée *prennent place* les Sociétés de vie apostolique»; lingua anglica: «Societies of apostolic life *resemble* Institutes of consecrated life»; lingua americana: «Comparable to institutes of consecrated life» are societies of apostolic life»; lingua germanica: «Zu den Instituten des geweihten Lebens *Kommen* die Gesellschaften des apostolischen Leben *hinzu*»; lingua hispanica: «A los Institutos de vida consagrada *se asemejan* las sociedades de vida apostólica»; lingua italica: «Agli Istituti di vita consacrata *sono assimilate* le Società di vita apostolica», lingua neerlandica: «*Bij* de Instituten van gewijd leven *komen* de Societeiten van apostolisch leven».

ti Patris; quae sequela semper aspectum peculiarem mysteri ipsius Christi illuminat. Haec sequela totalis est dedicatio Deo summe dilecto; illa, dato tempore, in Ecclesia formaliter in assumptione trium consiliorum expressa est. Sed hoc sub respectu, consilia non sunt considerata simpliciter uti media moralia ad perfectionem consequendam, sed signa visibilia caritatis, illius connubii a Deo conditi: ex hac realitate tantum sumunt consilia valorem et sensum consecratiuum. Iuxta theologale prospectum igitur omnia consilia sunt in illis tribus maioris contenta, immo unumquodque consilium ad alium ducit. Concilium certe publicam exegit professionem trium consiliorum maiorum cum sacris vinculis ab Ecclesia acceptis ut de vita consecrata loqui possimus et Codex hoc sancivit. Concilium tamen explicavit neque consilia neque vincula media esse consecrationis, dummodo reapse uti regula vitae assumantur.

Concilium cum difficultatibus consecrationis ambitum seiunctum a votiis propriis religiosorum inceptit distinguere. Hoc post approbationem Institutorum Saecularium inevitabile fit. Codex novus haec incepta perfecit. Tamen remansit consecratio propria religiosorum, iuxta nonnullos, princeps analogatum omnium formarum consecrationis vitae. Hac sub luce intelligere etiam possumus reactionem quarundam Societatum vitae apostolicae quae quemvis nexum cum religiosis renuebant.

In Societatibus consecratio explanari potest ut peculiaris sequela Christi in missione apostolica quae fit per vocationem et charisma. Nam consecratio non est in primis iter asceticum ad personalem perfectionem consequendam, neque consiliorum professio consecrationis finis considerandus est, sed semper medium, quamvis praecipuum. Consecratio sodalium

Institutorum vitae consecratae est intimior sequela Christi iuxta vocationem et charisma Instituti. Fidelitas huic vocationi et huic charismati etiam propriam perfectionis vitam secumfert. Eodem modo charisma apostolicum Societatum seiunctum a sanctificatione personali sodalium considerari non potest, quia aliqua unitas ab ipso charismate semper postulatur.

CONCLUSIO

His dictis, ad aliquam conclusionem pervenimus. Sensus verbi «accedere» in canonibus consideratis diversum videtur. Illud verbum in canone 604, uti diximus, significatio habet «addendi» ordinem virginum aliis formis vitae consecratae de quibus Codex loquitur, qui ordo virginum igitur forma vitae plene consecratae considerandus est. Forma vitae consecratae virginum *singillatim* intelligenda est et fit per publicum et sacrum propositum Christum pressius sequendi, iuxta ritum liturgicum ab Ecclesia dispositum.

Implicatio videtur quaestio apud Societates vitae apostolicae propter rationes expositas. In canone 731 verbum «accedunt» exprimit similitudinem cum Institutis vitae consecratae uti elementum Societatum constitutivum, quae similitudo aspectum theologicum et institutionalem respicit. Hoc verbum clarius verti potest cum verbis: «sunt similes». Haec similitudo varios habet gradus et fieri potest aequalitas in Societatibus de quibus in paragrapho secunda canonis 731. Illae Societates quae in hac similitudine propriam identitatem expressam esse non putant, meliorem collocationem in Codice invenire possunt, forsitan inter christifidelium consociationes vel prelaturas personales.

SILVIA RECCHI